



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moraliũ ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687

XXIV. In Domin. IV. Post Pascha. Arguet mundum de peccato. Ioann. 16.
Arg. Pulvis nitratus mundo maligno suppositus.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

CONCIO XXIV.
IN DOMINICA IV. POST PASCHA.
Arguet mundum de peccato.

Joan. 16.

ARGUMENTUM.
Pulvis nitratus mundo maligno
suppositus.

I. **E**O cum fulminato jam pridem mundo ventum, ut & consilium, & ratio Æsculapios quosque in eo curando destituat. Aud. Quibus enim artibus, quibus mediis, industriisq; in eum finem usi non sunt? Palladius eum in ruborem daturus, conspuere solitus improperando: Dignus conspui, qui me indignè conspuit. Democritus eundem salibus, cachinisque explodebat, ut vel sic stultitiam suam cognosceret. Heraclitus ex adversum lachrymis instagnabat, ut vel hoc diluviò demergeret. Tymon malam crucem architectatus, quatenus millena dignum morte in eum ageret. Cælires medici in eo fessi, lavando Æthiopyalere jubent: *Curavimus Babylonem,*

Vita PP.

Es non est salvata, derelinquamus eam. Ier. 51. 9. Ipsemet supremus omnium, efficacissimusque Magister Spiritus S. eundem sub ferulam suam recepit, redarguit, leges, quas sequeretur, condidit, & nihilominus mundus immundus in sua malitia, in injustitia, in damnatione sua præfractissimè obstinatur. *Arguet mundum de peccato.*

Quid ego agam? Quid consilii comminiscar? Haud me fallit modico nitrato pulvere, identidem quassatas, demolitas, inque auram diffatas urbes, ac munitiones. Utar eodem stratagemate, ad mundum in maligno positum fulminandum, pulveremque pyrium eidem supponam. Tu illum quæso inflamma, qui venisti ignem mittere in terram, idque ea intentione, ut accenderetur.

PARTI-

PARTITIO.

II. **D**ilectissimus à secretis Domini discipulus, describens mundi immundi firmamenta, ea trifariam partitur dicens: *Omne quod in mundo est, Concupiscentia carnis est, & Concupiscentia oculorum, & Superbia vita.* His tribus quasi basibus nititur moles ipsius, & hac Triade fretus, adversum Divinam ipsam impudentissimè lorica- tur. Eum itaque pessumdaturus omni ex parte aggrediar, & ut dixi pulveribus subversum ibo.

§. I.

Supponitur pulvis basi Concupiscentie carnis.

III. **P**rima, quam memorat Basis, Concupiscentia carnis est. Ad hanc funditus subruendam, ex armamentario serenissimi Psaltis pulverem demutuo. Hic capite ex uno æternans incomprehensam Numinis in populum suum bonitatem, ex alio verò taxans illius ingratitude ita occidit: *Pluit super eos sicut pulverem carnes.* Quibus verbis etsi ad literam multitudinem coturnicum, morè pulveris in castra eorum ventilatam designet; nihilo fecius solido positæ allegoriæ fundamento inhærendo, eorumque effrœnatam liguriendi libidinem perpendendo, haud abs re dixerim instar nitratipulveris illas gulæ delicias ipsis occidisse. Hunc enim quum diversis alii elucidaverint symbolis, lemmatibus-

que, unus eorum illud adscripsit: *Ardet, ut feriat.* Nihil tam confanguineum pulveri, quàm in stragem urgeri hominum, mœnium, domicilio- rum. Ut primùm illum scintilla contigerit, acturum prorumpit, obvia quæque difflat, fulminat, & ipsum sæpe sapius ingenti cruciatu parturientis dilaniat uterum. Nam quemadmodum eadem cum fulmine cunabula sortitur; ita ejusdem cum illo indolis est, & non nisi eo sine concipitur, profunditurque; ut dissipet, pessumdet, obvia quæque comminuat. *Ardet ut feriat.*

IV. Jam verò exigite, an non id ipsum floridissimum brutæ voluptatis Hieroglyphicum sit? Numquid illa flamynam pollet concipere, quin noceat? Si paululum nutriatur, non corpora duntaxat, sed animas depascitur. Mors prima non nisi à gula, & voluptate prorupit. Mors altera eadem obstetrice aboritur. Hæc, hæc est, quæ insignivit illa concupiscentiæ sepulchra in deserto. *Nam dum adhuc esca erant in faucibus eorum, ira Dei descendit super eos.* Hæc Sodomam, Gomorrhæ, finitimasque urbes sulphureo inundatos im- pluvio subruit. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus.* Hæc Sichimitas cum Toparcha suo demessuit; hæc complures alios decumanis mactavit suppliciis. Adeo omne volupe devolvit, præcipitatque ad interitum, morsque in omni Sybaritica conditur olla.

V. Alter ad ejusdem pulveris indolem evulgandam exaravit, *Cum fœtore perit.* Pulvis, quam ex nitro, sulphure-

*Pulveris
pyrei pro-
prietas.*

*Voluptas
exitialis.*

*Psal. 77.
v. 31.*

*Ezech. 16.
v. 49.*

*Voluptas
fœtida.*

*1. Ioan. 2.
v. 16.*

*Psal. 77.
v. 27.*

que traxit genesim, in exodo testatur; Et voluptas, quam in vita spirabat, eandem in morte exhalat mephycim. *Cum fœtore perit.*

Vita PP.

Ex cœlesti Ephebeo, visibili specie, quempiam se comitem sociasse cuidam Eremitæ Patrum, perhibent historia; iisdemque itinerantibus primùm quidem canis fœtidissimi cadaver, tum verò juvenem opobalsama spirantem occurrisse. Quid verò putatis, quâ fronte illud & iste susceptus? Stupescite factum. Cadaver bonus Genius propius, idque facie obversa, diductisque naribus transit; hunc verò averso vultu, oreque compresso denaufeare visus est. Movit facti insolentia silvicola, nec tulit, quin percontaretur, quid mysterii esset, quòd prope rancidum illud cadaver vultu exporecto, cance-roque proreptaverit, floridissimum autem juventæ liliū horrore quopiam sit averfatus? Cui ille: Scito juvenem illum deliciis, voluptatibusque mancipatum, enormis in oculis putere meis, quàm cadaver quodcunque absurdissimum. Nec quidquam tam graveolentem exhalat mephycim, quam effœminatus in nitido corpore animus. Hic ubi Deo vivere desit, omni cadavere fœdius marcet; quantòque mors illius gravior est morte corporali, tantò & fœtor intolerabilior.

Isa. 3.
P. 24.

Ex quo mihi inferre pronum est, quòd si in vivido, florenteque etiamnum corpore tam squallidus est animus Veneri mancipatus, quid tum futurum, quando oraculo Isaiæ: *Erit pro suavi odore fœtor, & pro crispante crine calvitium?* Si nunc inter pulveres aromata-

rios omnis caro fœnum, *phese*, quantò magis eo articulo, cum putrescet in stereore suo? Si nunc odore unguentorum Agni nec rapitur, nec expiatur; quantò minus hædis associatus marcere desisteret? *Cum fœtore perit.*

VI. Tertius ne sua deesset symbola addidit: *Momento perit.* Non enim opus est fomento alio, aut follibus ad flammam in eo alendam, unius scintillæ tactu animatur, & spirat. Nec dispar deliciarum conditio, Venus est vel quia caro venit, vel quia ut venit, ita abit. Ex spuma procreata comminiscitur Homerus, non alio credo fundamento, quàm quòd citò diffuat. Nulla profectò spuma tam propere dissolvitur; ac pulvis deliciarum avolat, & disploditur. *Quàm fallax, & perniciosafit illa delusoria felicitas, quam plerique in voluptate carnis constituunt, in libro experientie legitur incessanter, dum citò præterit, quòd delectat, & permanet sine fine quòd cruciat;* ait Mellifluus. Legitur inquam in tabulis quotidianæ experientiæ, quòd quantum quis laxat fræna cupiditati, tantum detrahat vitæ. Legitur apud Sapientem, ubi redimita illa rosis capita jam umbræ evanescentis, jam nuntii desultoriè percurrentis, jam navigii secundis Eolys æquor emetientis, jam aliis ad fugacitatem illius indicandam utuntur similitudinibus. *Transferunt omnia illa, (ingemiscunt apud Sapientem) tanquam umbra, & tanquam nuntius percurrentis, & tanquam navis, que pertransit præterfluentem aquam, cujus cùm præterierit, non est vestigium invenire.* Legitur apud Jobum, *Ducunt in bonis dies suos,*

Voluptas momentanea.

S. Bern. op. de Char. c. 15.

Sap. 5. v. 9, 10, 11.

Iob. 21. v. 13.

suos, & in puncto ad inferna descendunt. Momentum voluptatis associatum est monumento mortalitatis. Vix illud ducitur, dum istud construitur, vix terminatur, dum istud, vel ipse infernus intratur. *Ducunt in bonis dies suos, &c.*

Legitur in ipsis Evangeliiis de Epulone purpurato, cuius infelicem abitum ex hac vita paucis complexus S. Lucas: *Mortuus est dives, & sepultus in inferno.* Cur enim tam paucis casum tam lamentabilem attingit. Enarravit prolixè admodum, quid in vita egerit, quibus vesci cibis, quibus ornari vestibus solitus, quâ regali pompâ, quibus servis stipatus extento per arrogantiam collo incedebat, ut ne quidem obtutum ad Lazarum in limine domus resupinatum deflectere dignaretur, cur igitur nobis, quid in morte egerit, non edisserit? cur præterit, qualem condiderit testamentum, quæ ipsius fuerit ultima voluntas, quid fieri decreverit, quis illi adstiterit morienti, quos actus contritionis elicuerit? quâ diligentia ad extremam illam luctam, eamque gravissimam preparaverit? quid sibi illa jam imminente statuerit prælegendum, quod doloris signum suorum ostenderit peccatorum? Num horum hæc referens oblitus est Evangelista? Neutiquam. Cujus enim Spiritus S. dirigebat manum, calamumque, hæc utrique excedere non poterant; verum cœlesti factum est consilio, ut eorum nullam faceret mentionem, declaraturus ejus vitæ mortem fuisse subfiliem, sibi que mutuo responden-

tem. Quemadmodum egit vitam inter byssum, purpuram, epulas, sic inter byssum, purpuram, delicias expiravit.

Non aliud quærebatur illo ægrotante, quàm pixides aromatum, cervicalia redolentia, argentei foculi pelvibus variis instructi, tapetes, qui humi sternantur in honorem illorum, qui languidum essent visitaturi, aliaque similia. Ita ab his voluptatibus momento ad supplicia raptus est; & cum corpus etiannum jaceret in tomento, jam anima gehennali cruciabatur tormento. Momento perit. In puncto ad inferna descendunt.

VII. Eapropter seriò adhortatur Ecclesiastes: *Latere juvenis in adolescentia tua, & in bonis sit cor tuum, in diebus juventutis tue, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & scito, quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.* Comitator sanè ad quævis dedecora discinctos sodales, emetitor per me licet in vitiorum stadio ævum florida juvenitæ; verum unum est quod à te peto, ut scias voluptatem esse pulverem, quæ cum sætore momento perit, & ardet ut feriat. Peto ut in his omnibus strictos super te fascis Numinis observes, sciasque mensuræ voluptatum responsurum calicem furoris Domini. *Quantum, inquit alio in loco Judex supremus, in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctus.* Proxima pœnarum, culparumque est cognatio, & suo semper est

Eccle. 11.

Luc. 16.

*Epulonis
mors cur
breviter
perstricta.*

affixa mensura sceleri, suo semper voluptas absynthii humore delibuta.

§. II.

Altera basis mundi immundi in auram disploditur.

VIII. **A**Ltera Basis, cui mundus in maligno positus innititur, teste eodem D. Joanne Apostolo, est Concupiscentia oculorum, seu opum, ac divitiarum.

Dan. 2. Ad hanc subruendam accipio pulverem ex armamentario Babylonico. Inde inaudio Nabuchodonozorem statuam vidisse prægrandem, cujus caput aurum optimum, pectus argenteum, fœmora ærea, pedes ex parte ferreos, ex parte fictiles; quos lapillus de monte excisus in tantum comminuit, ut omne æs, argentum, aurum, redactum fuerit in pulverem, *quasi in favillam æstiva ærea, qua à vento rapitur.* Certum est, auri, argenteique nomine opulentiam, ærisque ferrique potentiam, (in quibus mundi cardo vertitur) significari. Quid autem est, quòd in pulverem tam minutum à vento quovis ventilandum contrita sunt? Cur non contenta erat Divina Nemesis solo æquasse statuam? Cur in favillam seu pulverem redigitur? Sanè non aliam ob causam, quàm ut poprietas auri in pulvere pyro exhiberetur.

Huic nonnemo Lemma apposuit: *Ex toto nihil fit.* Sit vas plenissimum pulvere, sit turris eodem oneratissima, si incendatur, quid quæso remanet? *Ex toto nihil.* Ex tota pulveris substan-

tia præter odorem, fumumque nihil superest. Et quid quæso remanebit avaris, rapacibus, Euclionibus ex omnibus bonis ipsorum? Quid? nec obulus, nec ungula, nec granum unicum. *Dormierunt, canit Psaltes, somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Nihil Cræsus, nihil Polycrates, nihil Salomon ex omnibus possessionibus suis, ex omnibus hortis suis, ex omnibus gemmis, ac thesauris suis. *Omnia redacta sunt in favillam.* Et *Nihil invenerunt in manibus suis.*

Psal. 76. v. 6.

IX. Ego id haud capio, quando vanitatem mundi considero, undenam eveniat, quòd in annos singulos tanto eruto auro, & navibus, onerariisque integris advecto, non modò nihil accedere, sed & decedere, ac decreescere id ipsum videatur. Compertum enim probè vobis est, tempora priora multò extitisse ditiora, mensurasse Majores vestros, thesauros suos prope modiis, calculasse millionibus. David in Basilicæ unius fabricam auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum intulit. Temporibus Salomonis filii ipsius tanta erat abundantia argenti in Jerusalem, quanta & lapidum. Quibus item Roma vetus, quibus Persia sub Dario stagnaverit opibus, profanis testaturum est codicibus. Attebalipa Cupeniorum in novo orbe Regulus, Caroli V. Imperatoris armis subjugatus, septuaginta auri milliones se intra septuaginta dies expediturum pro libertate sua redimenda récepit. Eadem ratione gens Indorum uni se legi condiditæ exemptura, eidem viginti millio-

Aurum ubi maneat.

1. Paral. 22. v. 14.

1. Reg. 10. v. 27.

nes

Surius an.
2558.

nes & unum, totidemque filio Philippo appromisit. Hispani itidem unâ navigatione secum attulere ex Indiis septuaginta milliones, in auro, gemmis, unionibus, &c.

Quæso vos Domini Thesaurarii, Monetarii, Nummularii, tantus acervus auri ubinam nunc reconditus? Ubinam manent opes aliæ eruto indies novo auro? Dicit forsitan quispiam Sathanam ipsum pro Anti-Christo eos coacervare, servareque thesauros. Verum unde id vobis, ex ratione? an revelatione? Judæi infert alter, evehunt, proque ementito Messia congerunt. Et hoc commentum, cum vix non ubivis illos vexet egestas. Multum auri, argentique in mensis atteritur, sentit tertius. Sed quantum id, nonne plus effoditur? Celand, inquit, alii aurum suum in terra, quod quia non revelant, cum morientibus unâ tumulatum manet. Tangitur aliquid, sed non ab integro. Neque enim tantum infoditur, quantum eruitur. Et utut solertia hominum magna est in custodiendo, non minor tamen eorum est industria in indagando. Si humanæ desint industriæ, si virgæ coryli nec quicquam operentur, infernus ad occultos thesauros eruendos, per sagas, veneficosque referatur. Quid itaque causæ? Ego dixerim, quod avolent, vel in chaos sui nihili revertantur.

X. Lysander Atheniensis cistæ pecuniis turgidæ inscripsit: *Opupas, Noctuas*. Philippus ejus famulus id advertens sustulit nummos, adjecitque: *Avolarunt*: Alter recondidit in templo, addita epigraphe: *Hic jacet Christus*. Olfecit id ædituus, & sublato thesauro, lemma sub-

didit: *Surrexit non est hic*. Tertius cum securè in navi quiesceret, catumque factum nummis coram se haberet, advolavit corvus, ratus frustum carnis esse, rapuitque, sed agnito errore in pelagi profunda demersit. Hinc belle de iis vaticinatus Sapiens: *Facient sibi pennas, quasi aquila, & volabunt*. Quidquid sit, fateri cogimur mirabilem quandam esse auri proprietatem, quod vel ex semetipso in pristinum nihilum remigret, vel pulvere supposito in auras abeat.

Prov. 23.
v. 5.

XI. Hinc conjiciat prudens quisque, quis tum sensus opulentorum mentem arietabit? quis dolor divexabit præcordia, quum exacto hujus vitæ cursu, senudos, destitutosque conspecturi sunt omnibus.

Jobus illud patientiæ prodigium, raptò à furibus patrimonio, prædiis grandine contritis, grege à latronibus abducto, prole, domus ruinâ, oppressa, amicis in irrisores transversis, uxore in bestiam prope deformata, toto corpore ulceribus incrustatus, quum summâ heroicaque fortitudine cuncta pertulisset, tandem indolens miseriis ac laboribus suis, diem in qua natus, fulminavit: *Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper*. Id si egit homo sanctissimus, quibus putatis fulminibus impios suas vigilias, studia, industrias impeturos, quando ex omnibus suis divitiis nec obulum, ex omnibus pecoribus nec ungulam, ex omnibus possessionibus nec spitamam terræ, ex omnibus deliciis nec micam sibi in omnem

Jobi im-
precatio.

Job. 3. v. 3.

æternitatem obventuram prospexerint.

Eccle. 2.
v. 12.

XII. Salomonem item probè nōstis, quibus curis defunctus sit in augendis possessionibus, in erigendis sibi basilicis, in plantandis hortis, in piscinis eruendis, in auro ex Ophir advehendo, &c. Quid verò inde? Audite ipsummet lamentantem: *Cum me convertissem ad omnia opera, quæ fecerunt manus meæ, & ad labores, in quibus frustra desudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub Sole; & detestatus sum omnem industriam meam, quæ sub Sole studiosissime laboravi.* Hic in tantis deliciis, & auge felicitatis constitutus, ea non nisi de causa, quòd perspiceret, nihil sub Sole solidum, & omnia in manus aliorum perventura, fulminavit decertatos labores suos, industrias, studia, quantumvis iis etiamnum gauderet. Quantis itaque diris non devoturi sunt Eucliones alii suos prope sanguineos sudores, quos in spumam abiisse deprehendent, immò in mare amarissimum omnis miseræ, ac tempestaris? Quibus tunc debacchabuntur e-julatibus, quando Tantali instar, in mediis aquis poma natantia incassum captabunt, aut cum Epulone, irritis semper precibus, guttam unam exorabunt?

XIII. Si quispiam nunc illudatur auro fictitio, aut gemma adultera furit, indignatur, ac propè ringitur; quid tunc, quando non in uno nummo, non in una margarita, aut gemma, sed in omnibus palpaverit mendacium, idque damno suo æternum irreparabili, in

quas Furias non abibit? quæ tonitrua si posset, non conciret? in quos threnos tandem non effunderetur? Heu luctus, heu dolor, heu damnum, in omne ævum irreparabile! *Ex toto nihil.*

§. III.

Basis tertia superbie fulminatur.

XIV. **B**asis ultima, qua mundus immundus solidatur, est fastus, atque arrogancia. *Superbia turris diffinitur.*

Ad hanc comminuendam haud alio utar pulvere, quàm eo, quem ipse Dominus, mox ab Orbe condito, homini Divinitatem affectanti supposuit, dicens: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Quid itaque cristas erigis? Quid elato supercilio alios insuper habes? Quid ingentes spiritus, super humanæ naturæ communem conditionem attollis, paulò post in pulverem abiturus? *Quid superbis pulvis, & cinis? Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Decretum id adamantinis inaratam libellis, nullis unquam detrendum, aut eradendum saculis. Quid inquam habes præ aliis, quàm quòd ut pulvis cum sonitu pereas, famam undique circumsonante, & evanescente?

Hoc elogium tibi dat Psalter decantatissimus. *Periit memoria eorum cum sonitu.* Hoc unum elati cum pulvere pyrio commune habent, quòd cum sonitu evanescant, quòd laudentur, ubi non sunt, quòd crucientur, ubi sunt.

XV.

XV. Germanæ superbiæ pullus erat Herodes ille, qui ob facundiam diis ipsis à populo æquatus est. Quid verò inde reculit? Profectò, non nisi sonitum. Huic, uti Josephus de Antiquitatibus Hebraicis testatur, filius exequias mortuo fecit, quales nec Sol unquam vidit celebrari magnificentiores; at ille in inferno sepultus, ingemiscibat. Laus ipsius famæque tora divulgabatur Judæa, at clamor ipsius in toto exaudiebatur Averno. *Periit memoria eorum cum sonitu.*

Lib. VII.
Iud. c. 38.

XVI. Refert sanctissima Virgo Teresa de quodam alio viro potente non minus, quàm flagitioso, quòd bienniò, ad correctionem suam à Deo, incurabili percussus infirmitate, cum non ab integro resipisceret, inexpiatum inopinatò decessisse. Hujus cadaver, cum magnificè, splendideque efferretur, vidit ipsa circumquaque dæmonum legiones variis corpus, horrendisque torquentes cruciatibus, & confusis ululatibus, huc, illucque quasi collusuri distrahentes. In ipsa Ecclesia, dum solenni pompâ decantaretur officium, corpusque terræ mandaretur, tanta (testatur ipsa) in tumulto aderat dæmonum multitudo illud exceptura, ut spectra hæc videre nequirem, magnusque mihi necessarius erat animus, ut hoc me videre dissimularem. Attendebat interea, expendebatque, quid de illa ageretur anima in inferno, cujus corpus tam truculentè tractabatur in tumulto. Et utinam, ait, quæ vidi terribilia, isti viderent, qui mortali culpa inquinantur, quantum sapio, non modicum illis

prodesset, ad vitæ, morumque emendationem. Quæso, an non de eodem verè cantatum à Davide: *Periit memoria eorum cum sonitu.* Periit, & quidem æternum, æternum periit.

XVII. Inter alia bellica stratagemata legi, nonnunquam mandato ducis cujuscumque omnem pulverem effusum in terram, cumque hostes alto instarent supercilio, ipsum fugam simulasse, quoad in locum pulveris pellexisset; tum verò eundem incendisse, hostium acies confudisse, subvertisse, jugulasse.

Casui huic persimilem accipio ex Esdra Notario, Vateque Altissimi in multitudine quapiam armatorum erectis cristis cælum laceffentium. Congregati hi erant de quatuor ventis cæli, decertaturi contra ipsum Deum, qui immotis omnino digitis unico de ore suo flatu excusso sustulit universos: *Succendit omnes, ut subito nihil videretur de innumerabili multitudine, nisi solummodò pulvis, & fumi odor.* Nonne & istud erat perire cum sonitu? perire cum tumultu?

4. Esd. 13.
v. 11.

XVIII. Et hic tibi extimescendus est casus, quisquis nunc alto graderis supercilio; suppositus enim tibi cinis est, qui hodie, ac cras difflabitur, explo-deturque, te casuro eò profundius, quò altiùs cervicem extulisti. Nihil enim tam obnoxium periculo, ac pulvis; minima scintilla corripitur, incenditurque. Nihil itidem tam proximum casui, quàm animus per arrogantiam elatus. Heu nunquam stabilem sortita superbia pedem; cecinit Ausonius, cespitat,

hallucinaturque ille, quocumque mo-
vetur. Quid igitur superbis, pulvis &
cinis? Cur tuum nihilum non expendis?
Cur ventos, tempestates, ignemque
non reformidas?

XIX. At jam satis, superque pulve-
ris suppositum autumo, satis Concupi-
scentiæ carnis, satis Concupiscentiæ o-
culorum, satis Superbiæ vitæ. Quod si
tamen eodem nec quicquam effectum,
si mundus fulminatus cum concupi-
scentiis suis etiamnum in præcordiis
cujuspiam vigeat, si pulvis hic succen-

sus non est, caelestem invoco incendia-
rium, quatenus ipse scintillam de foco
suo in illum immittere dignetur, qua-
tenus pessumdatò, explosòque perversò
mundò, terra nova, & calum novum
in nobis condatur, in quo solus ipse
regnet, & imperet, qui gubernat uni-
versa, Christus JESUS.

Audior, audior, jo, jo, *Cecidit Baby-
lon illa meretrix magna.* Tibi gloria, *Apo. 14.*
tibi laus, tibi imperium, ò Christe JE-
SU in sæcula sæculorum. *v. 8.*

Amen.

